

animum constituerim, prius quam initium hac de re pauca differendi, capiam, VOS, LECTORES BENEVOLI, si ea, quae pro uirium mearum modulo in medium proferam, non satis polita satisque digna VESTRA expectatione iudicetis, ut mihi, hac in dicendi palaestra parum exercitato ignoscatis, meosque conatus beneuolentia ac humanitate VESTRA, excitetis, omni, qua possum ac debeo, cum reuerentia obtestor. Faciam itaque periculum et explorabo, quum tres per annos, et quod excurrit, hac in illustri Academia totus in eo fuerim, ut non solum literis et ritibus sacris, sed et linguis maxime Orientis me dicarem, quid in dictis sacris e Iudaeorum ritibus et antiquitatibus explicandis, ualeant humeri mei, quid ferre recusent.

## §. I.

STEPHANVS OB CRIMEN PARTIM BLASPHEMIAE PARTIM FALSAE PROPHE-  
TIAE EXCISIONIS REVS AC  
CVSABATUR

**O**mnibus fere temporibus accidit, ut omnes fere huius uniuersi gentes, hos homines, qui uel aliquid noui proponere ausi, uel ut huius illiusque rei auctores haberentur, omnibus allaborarunt uiribus, infensissimo prosequerentur odio. Religione Christiana, cui LVTHERVS maxime pristinum splendorem ac statum integrum, quo Christi, et Apostolorum, nec non primorum ueri Dei confessorum temporibus gaudebat, indefessis suis laboribus recuperauit, quid sanctius est, quidque praestantius? Sed quales Venerabili huic Doctori pro tanto beneficio, hominibus praestito, gratiae sunt redditae? Pontificii hunc Deo amicissimum